



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Gratiæ Mons, vulgo Gnadenberg/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

teras expiscari haecenus non potui. Praefuit tamen eidem nuper adeo illustrissima Domina, Domina Clara, Henrici Junioris Brunsvicensis Ducis ex Domina Maria Jacobe Ducissa Wirtenbergensi filia, quae anno Domini 1547. jussu Parentis, ex captivitate Hessica in patriam ditionem redeuntis, Dominae Magdalenae, Baronissae de Klummen, Abbatiam resignavit. Haec praefidet hoc adhuc currente Jubilaeo, potens ac magnifica Abbatisa, quae hodie adhuc sub directo suo dominio vasallos habet non duces tantum Brunsvicenses, sed & Saxoniae Principes ac Marchiones Brandenburgenses, aliosq; multos circumjacentis terrae Regulos, Comites ac Barones.

CRATLE MONS, vulgo Gnadenberg / antiquitus a quercibus der Wichelberg / coenobium utriusq; sexus in Aisttensi dioecesi, ordinis S. Salvatoris vel S. Brigittae, ad Schwvartzachium amnem in Palatinatu superiori, medio inter Noribergam ac Neumarcam civitates, vel Altdorffum oppidum Noribergense & Heimbürgum castrum itinere, in amenissimo monte situm, fundatum ac dotatum est sub Pontifice Eugenio IV. Imperatore vero Alberto II. Auftriaco, anno Domini 1436. à Joanne, Palatino Rheni & Bavariae Duce, Ruperti Imperatoris filio, ad preces & petitionem conjugis suae, Dominae Catharinae, Pomeranorum Ducissae, quae puella paucorum annorum Wattensteinensi S. Brigittae coenobio religionis studio ita sese extra tamen clausuram dederat, ut claudi etiam sese vellet, si ad decimum octavum aetatis suae annum perveniret. Cum itaq; ab hac sua sententia secedere & Joanni Palatino, desideranter eam petenti, nubere cogere, institit marito, ut in sua is ditione coenobium ejusdem ordinis institueret, in quo cultus ille Deo praestaretur, quem ipsa novisset ac per ipsum impedita praestare jam non posset. Inchoatum fuit primum prope arcem *Wolffstein, Wolf-* ultra Novum Forum sitam, ubi exiguum sacellum & oratorium *stein.* constructum erat; sed post maturiorem deliberationem cis Novum Forum in Quercinum Montem translatum est, in viciniam opulentae Civitatis Noribergensis. Sperabat enim Princeps futurum

Coenobii fundatores.

Gg 2

Chronologia
Muster id
S. M

*Füreri
patricii.*

turum, ut pii cives ejus Urbis aliquando excitati, cogitaturi essent de ampliando & liberalius donando tenuiter inchoato à se monasteriolo. Nec fefellit principem ista spes. Fuerunt enim, ut infra amplius audiemus, præ cæteris civibus Noribergensibus, patricii ejus Urbis Schlevvizeri & Füreri insignes hujus monasticæ congregationis benefactores. Primæ religiosæ personæ ex Dania in hunc locum accitæ sunt, Nicolaus & Joannes, pii duo sacerdotes, quibus postea aliqui Germani accefferunt. Sorores vero, Anna, Sueffionis Equitis cujusdam atrati filia, Botildis, Brigitta, & Catharina Crumpina, ipsa quoque aurati Equitis nata. Consecratum est cœnobium proxima Dominica post S. Trinitatis festum anno Christi 1438. ab Alberti Aichsterensis Episcopi suffraganeo, presentibus fundatore Joanne, qui primum lapidem ponens aureum annulum in fundamenta coniecit, vitrumque vini plenum apposuit, primoque lapidi includit: fundatrice item Catharina, & filio eorum *Christophoro*, qui postea Danorum, Sueciæ & Nordwegiæ Rex factus, ad finem usque vitæ suæ istis provinciis imperasse legitur. Gubernatricum & Abbatissarum hujus cœnobii (est enim gubernatio non penes virilem sexum, sed prope moniales) talis est series & catalogus.

*Palatinus
Rheni,
imperat
Regno
Danie.*

*Abbatissarum
numerus.*

1. *Elisabeta Kniepentlin*, patria Ratisbonensis, pulcherrima virgo, assumitur in primam gubernatricem anno Christi 1438. Præfuit 12. annis: resignavit anno 1450. Obiit postea anno Domini 1458. Sub ejus gubernatione obiit primum Domina fundatrix, Princeps Catharina anno 1439. ante fratrum chorum sub elevato à terra Mausoleo sepulta: fundator item D. Joannes Palatinus, Imperatoris Ruperti Palatini filius, anno Christi 1443. decima tertia Martii. Et altera fundatoris conjunx, Domina Beatrix, Ducissa Baviaræ, quæ ante Joannem Palatinum præpotentis cujusdam Bavarici Comitibus nupta fuerat. Hæc apud Neoforum obiit 14. Martii anno Domini 1447. & ad montem Gratiæ aucta illic honorifice in fundatricis tumulum ante ædiculam corporis Domini, ut vocant, deposita & humata est.

2. *Elisabeta Folckenstalerina*, Norica, prima hujus loci Abbatissa consecrata, successit resignanti primæ gubernatrici. Præfuit

fuit annis 20. laudabiliter & fideliter. Obiit anno 1471. Sub ejus gubernatione sepelitur in monte Gratiae Martinus à Wildenstein, Eques auratus, qui obiit anno 1466.

3. *Margareta Rindsmeulin*, virgo nobilis, quæ ex aula fundatoris in monasterium sponte sua profecta est, eligitur in Abbatissam anno 1471. Præfuit 18. annis & mensibus sex egregia virtute. Obiit anno 1489.

4. *Barbara*, Fureri patricii cujusdam Noribergensis honestissima filia, successit mortuæ Margaridi. Præfuit prudenter & utiliter 20. annis. Hujus Abbatissæ duo ex fratre nepotes, Sigismundus & Christophorus Fureri, suis sumtibus ac expensis, e-^{Fureri} rogatis videlicet duobus millibus ac quingentis aureis, egregium ^{patricii.} ac longe pulcherrimum templum montis Gratiae ex imis fundamentis de novo construxerunt, ac quindecim arcuum ingeniosa testudine illustrarunt. Obiit Domina Abbatissa pridie Bartholomæi Apostoli anno Domini 1509. ætatis suæ anno septuagesimo, cum 49. annis vixisset in hoc cœnobio.

5. *Catharina Kbunigsfelderina*, ex Kemmato nata, eligitur anno Domini 1509. Præfuit annis 19. Obiit anno 1528. ætatis suæ septuagesimo tertio, cum 52. annis monasticen hoc loco profecta esset.

6. *Ursula*, nobilis Domina à Seckendorff, ex Neoforo huc profecta, eligitur tandem Abbatissa anno 1528. Præfuit quinque annis. Obiit anno 1533. ætatis suæ 77.

7. *Ursula Breunina* Norica successit Seckendorffensi. Præest hoc adhuc currente Jubilæo, honesta ac utilis monasterio Domina, sub qua obiit superiore anno in hoc cœnobio facundissima quædam Domina, Barbara Schlevviserina, Patricia Noribergensis, aviæ meæ maternæ, quæ Viti Schlevviceri, cognomen-^{Schlewi-} to Barbati, egregii civis & patricii Norici, filia fuit, amita mea ^{zeri, pa-} charissima, quam semel duntaxat solamque; ex rota Schlevviserina ^{tricii.} familia (ex qua materna mihi origo est) superstitem, anno ætatis suæ 70. visam, non potui non carmine aliquo celebrare, quod huic loco in honestissimæ familiæ memoriam sempiternam adponere libuit. Id tale est:

Gg 3

Ille

Chronologia
monasterio
S. M

Illa dies mihi marmoreo signanda lapillo est,
 Vere festa dies hæc mihi semper erit:
 Quam venerabor, amabo, colam ego pectore toto,
 Quamq; immortali carmine sepe canam.
 Qua tu visa mihi es, clarissima Barbara, gentis
 Eximium decus & gloria magna meæ.
 Salve igitur, veneranda nurus, mea dulcis amitta,
 Qua jucundius hæc quid mihi secla ferant?
 Tu matrem, tu animamq; meam monstrare videris,
 Aspera fata olim quas rapuere mihi.
 In cunis cum parvulus adhuc infansq; jacerem,
 Et nutricis adhuc lac foret esca mihi.
 Hinc ego te, mea Barbara, amo, te diligo vere,
 Non secus ac matrem, nec secus atq; animam.
 Et cum nil aliud possim tibi reddere pulchri,
 Hoc tamen ipse tibi, Barbara clara, dabo.
 Quod te, quod nomenq; tuum laudesq; tuorum
 Perpetua gratus religione canam.
 Schlewiserima domus, quam quondam Norica tellus
 Edidit illustrem magnificamq; domum.
 Hæc per me celebris toto cantabitur orbe:
 Omnis posteritas nomina vestra sciet.
 Hæc nostræ sit amicitie solennis origo,
 Perpetuo firmam quam fore spero. Vale.
 Vive diu menti, charissima Barbara, nostræ,
 Vive diu gentis fama decusq; meæ.
 Te Christus bonitate sua amplectatur ametq;
 Et donet vitæ tempora longa tue.
 Ac ubi te vita volet hac excedere quondam,
 Transferat ad superæ te pia regna domus,
 In quibus inveniam te quondam, Barbara chara,
 Et tecum felix secula longa teram
 Cumq; parentibus & cognatis, Barbara, nostris.
 Quorum nunc modo sunt nomina nota. Vale.

Valedictorium ad eandem Barbaram.

Barbara, delitiis facundæ prædita linguae,

Mella Hyblea pio cuius ab ore fluunt.

Barbara, gentis honos nostræ, quæ tam mihi chara es,

Quam mea chara mihi mater amica fuit.

Salve perpetuoq; vale, charissima amitta,

O ingens animi curaq; spesq; mei.

Quam stabit mons iste diu, cui Gratia nomen

Sancta dedit: stabit quam domus ista diu;

Tam tu, chara, diu valeas, tam, Barbara, viuas


Et fausta & felix, incolumisq; diu.

Quando suas undas non amplius Ister habebit,

Et madidis Rhenus forte carebit aquis,

Tum te dira pericla, aut mors premat atra, nec unquam

Te citius mala fors obruat ulla. Vale!



MECKENBACHIUM, antiquitus à loci sentibus op-
 pleti asperitate, hodie vero Zeppach/ paululum ab-
 breviata voce, Cistertiensis sive Bernhardini instituti
 monialium præclarū cœnobium, Constantiensis dice-
 ceseos sub Salemitani Abbatis cura ac visitatione, medio fere
 itinere inter Ochsenhusium cœnobium & Biberacum civitatem
 imperialem situm, cœptum & inchoatum est annum Domini
 circiter 1233. sub Romanæ Ecclesiæ Pont. Max. Gregorio IX.
 Pontificatus ejus anno 8. à piis ac religiosis duabus Beginis, qua-
 rum una ex nobili gente regulorum de Rosenburg, altera ex
 Laudenburgensi familia nata fuit. Ad has duas mox aliæ etiam
 accesserunt plurimæ, & inter has quinç; Nobiles, quæ parenti-
 bus suis tam diu insisterunt, donec eos persuaderent, ut domici-
 lia ipsis construerent. Inchoabatur vero cœnobium aliquoties
 in pago Maselheim, sed ligna & saxa, futuro ædificio præparata, *Masel-*
 semper in eum locum mirabili quodam prodigio rediisse dicun- *heim.*
 tur, in quo nunc monasterium constructum visitur. Templum
 S. Pancratio dicatum est. Ejus primum lapidem posuerunt su-
 pra-